

(58^d) primo loco (predicator) scrutari debet sententias divinatorum eloquiorum, unde predicare cogitat, si pro loco et tempore auditoribus conveniant. deinde ipsas auctoritates declarare debet per mysticum intellectum, ut audientes edificentur. quod si ad hoc defuerit scientia, aliorum expositiones legat, ut habeat in thesauro cordis sui, unde proferat nova et vetera. sicque aperire debet os suum¹ in predicatione. quia multi hodie ydote in ecclesia Dei predicant, non habentes scientiam Scripturarum, ideo multos scandalizant, nonnunquam errores et, quod gravius est, hereses predicantes. — (59^a) quantum gratie spiritualis attrahent sibi,² qui Deum laudant in psalmis, ymnis et canticis spiritualibus, unumquemque nostrum docet experientia quotidiana. ab hac gratia expertes sunt, qui raro vel vix ora sua aperiunt in laude divina, raro psallentes et frequentius dormientes. tales non attrahunt sibi Spiritum Sanctum, cujus conversatione jocundentur, sed spiritus attrahunt malignos, qui in eorum sompnoletis et torpore plurimum delectantur. hoc in *libris Dialogorum* multis exemplis me probasse recolo. — (60^d) imagines Salvatoris, ut scitis, in laquearibus ecclesiarum sepe depicte vel sculpte habentur, et solent secundum illarum exemplaria alia depingi. — (63^e) in ordine Cisterciensi, sicut scitis, nemo recipitur ad conversionem, nisi transierit annos pueritiae et annos inchoaverit adolescentiae. et hoc ideo fit, quia pueri minus apti sunt ad custodiendas justificationes³ Domini et precepta regule, eo quod disciplinam silentii, juniorum et aliorum, que in Ordine instituta sunt, servare nequeant. et ne per illos Ordo tepescat et disciplina pereat, infra decem et octo (63^d) annos recipi prohibentur. — (64^b) alter quidam philosophus dixit: os unum a natura, aures duas accepimus. — (64^c) propter quod juvenes et adolescentes amare debent sacrum silentium propter silentii fructum, et non circumire officinas ad tempus deducendum et, ut verius dicam, ad tempus perdendum. in rumoribus audiendis sive recitandis sive in aliis collationibus inutilibus peccatum non deerit. — unde adolescentes scrutari studeant non officinas monasterii, sed libros armarii, quia in illis invenitur sapientia et scientia. — (66^c) hac oratione operis⁴

¹ Psalm. 118, 131.² Psalm. 118, 131.³ Psalm. 118, 145.⁴ Psalm. 137, 8.